



[Faint, illegible handwriting on a blank page]



I. N. 7.
DISPUTATIO THEOLOGICA, 49

DE
PRIMA
TRIADOSOPHIA,

Ex Psalmo LXVII, 1.

Quam
SUB PRÆSIDIO

*VIRI Summè Reverendi, Magnifici,
Amplissimi, Excellentissimi,*

DN. JOH. DEUTSCHMANNI,
SS. Theolog. Doct. & Prof. Publ. celeberrimi,
Alumnorum Electoralium

Ephori Gravissimi,

*Domini Patroni, Præceptoris, studiorumque
suorum Promotoris, Filialis observantiæ*

*ac amoris cultu ad cineres usq; colen-
di, devenerandi,*

Publicè defendet

M. AUGUSTINUS KNOPFIUS,

Torgensis, Alum. Electoralis.

In Auditorio Majori, die 8 Junii,

Anno 1686.

•••••
WITTENBERGÆ, Literis SCHULTZIANIS.



NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, EX-
CELLENTISSIMIS,
Autoritatis Eminentia, Prudentia, Multoque
Rerum usu Maxime Conspicuis.

VIRIS

DNN.

CONSULIBUS,
SYNDICO,

ET

SENATORIBUS INCLUTÆ
REIPUBLICÆ TORGAVIENSIS,

GRAVISSIMIS SPECTATISSIMIS,

DOMINIS MOECENATIBUS ET

PATRONIS SUIS MAXIMIS,

DEVOTE ÆTATEM VENERANDIS.

Exercitium hoc Theologicum,

Submisit consecras

devotiss. cliens

M. Augustinus Knopfius.

3

IN NOMINE JESU!
DE PRIMA TRIADO-
SOPHIA
EX PSALMO LXVII. I.

I.

Postquam *generalia de Ter-Benedicta Triadosophia* notavimus, recta nunc ad *specialem* cujusque *Triadologiae* considerationem procedimus, ut in hoc *Benedictionis Psalmo* *Centrum* augustum, & *Nucleum* Majestaticum, annotare queamus. Hæc enim optima tractandi, optima discendi, cognoscendique ratio vulgo dicitur, ut à *generalibus* incipiamus, & ab his ad *specialia* descendamus. *Generalia* siquidem tantum aliqualem notitiam nobis suppeditant, sed *specialia* totalem. *generalia* præliminarem, *specialia* essentialem, *generalia* confusam, *specialia* distinctam, *generalia* imperfectam, *specialia* perfectam, *generalia* communem, *specialia* propriam, *generalia* præcisam, *specialia* applicatam, *generalia* minus accuratam, *specialia* accuratam, cognitionem pariunt.

2. Cum igitur in hoc *Benedictionis Psalmo*, *Prima Triadosophia* statim v. i. nobis exhibeatur, ideo secundum eorum verba *Triadosophia* hanc scrutabimur, & augustum hoc *Mysterium*, in augustis hujus *Cantici* primordiis, piis atque devotis meditationibus, contemplantur. Nam *singula verba maxima* nobis in hoc mysterio *pondera sensuum divinorum* offerunt, ut in iis splendidissimum SS. vel etiam *Ter-Benedictæ Trinitatis* speculum inveniamus.

2. Ut autem eò clarius pateat, quod huic *Triadosophiæ primus* debeatur locus, ideoque *primus* eidem tribuendus sit labor, ea de causa non tantum supponimus, quæ superius in *generalibus* demonstravimus, nim. quod prima sit (a) ratione *textualis positus*; (b) ratione *ordinis versiculorum*; (c) ratione *distinctarum personarum*, cum ad *Patrem* hæc *Triadosophia* peculiariter respiciat; (d) ratione *partium Orationis*; (e) ratione *cardinalium virtutum*; (f) ratione *methodi ana-*

A

lyticæ.

lytica, quoad *ὁκνοῦσι* Psalmi totius; (g) ratione *revelata consecutionis*. (h) ratione *ordinis proponendi*; (i) ratione *variata allocutionis* &c. ex quibus omnibus luculenter indicavimus, quod omni jure hæc Triadosophia reliquas ordine præcedat. Vid. th. II.

4. Nunc ut appareat, quod non desint *argumenta plura prioritate* huic Triadosophiæ, præter hæc allegata, *fundamenta* non contemnenda subjiciemus. Probat^{ur} enim *prioritas* hujus *primæ Triadosophiæ* (1.) *ex ordine divinorum operum*, quia *prima Triadosophia* respicit ad opus *Creationis*, sicut *altera* referri debet ad opus *redemptionis*, & *tertia* pariter ad opus *sanctificationis*. Quod *prima* referatur ad opus *Creationis*, illud omnium evidentissimè patet ex *historia Creationis*: & ut alia nunc omittamus, ad solam *Hominis creationem* respicimus, ubi *bonitatem Patris*, i.e. *personæ primæ*, deprehendimus in *optimo Creationis hominis decreto*, quo *Deus Pater* augmentum *creationis initium* fecit, & ex *mera bonitate*, nobilissimam, inter visibilia, *Creaturam* ad suam *imaginem* producere decrevit, inquit: *Faciamus Hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis universæ terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Dictum, factum, quia statim creavit *Deus Pater*, ut omnium rerum, & sic etiam *hominis Creator*, *hominem ad imaginem suam*, ad *imaginem Dei* creavit illum, *masculum & feminam* creavit eos. Ex hac *creationis historia*, veraque *creationis fiducia*, quondam equidem per *Adami lapsum* amissa, nunc autem in *Evangelio reparata*, dicit *Psalmista* verbis initialibus: *Elohim, Deus Pater, misereatur nostri*, tanquam *verus Pater*, & *misericordissimus Creator*. Postea sequitur in *historia Creationis*: *Benedixit illis Elohim, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, subjicite eam vobis, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*: Eadem ratione, sicut *Moses* hæc *λόγῳ* *benedicenti* tribuit, & omnis *Benedictionis* *promo condo*, *Filio Dei*, vel *Sapientiæ Patris* adscribit, sic etiam h. l. *Psalmista* pergit, & *Elohim medio*, vel *secundæ personæ SS. Trinitatis*, *Benedictionem* attribuit, inquit: *Elohim benedicat nobis*. Denique *Moses* v. 31. subjungit, quod *Elohim viderit* hæc, quæ fecerat, & valde bo-

3
de bona judicavit: quod videre tribuitur communiter Spiritui S.
qui res creatas & vidit, & videndo, vel revidendo, sufficienter exami-
navit, examinando probavit, probando censuram applicavit, censen-
do judicavit, judicando perfectionem veram, atque plenam adsigna-
vit, & mentem in super hominis illuminavit, ut is pariter hæc omnia
non in homine tantum, sed etiam in aliis Dei creaturis observare
posset: qualis illuminatio citra dubium Spiritui S. peculiariter ap-
propriatur: & ea de causa, præter alia, David hic inquit: Elohims
[Spiritus Sanctus] illuminet multum suum super nos. Illustris hæc
est analogia Triadosophias primæ Davidicæ benedictionis, cum Triado-
sophia primæ Mosaicæ Creationis. Quod Triadosophia secundæ
Psalmi nobis exhibeat peculiari ratione Triadosophian redemptionis,
illud pluribus deduci posset; sed hic breviores lineæ nobis ducen-
dæ sunt: nolumus igitur alia loca, quorum satis multa, satis pon-
derosa, passim in scripturis extant, nunc cum proposito nostro con-
ferre, sed ipsa tantum Psalmi verba breviter introducimus, in qui-
bus cernimus tum redemptionis fundamentum, & omnem acquirenda
salutis apparatus, in voce יְיָ שָׁלוֹם salutare tuum, quæ verum Salva-
torē in Jesu nostro, cum aliud nomen sub cælo nobis datum non sit,
in quo salvari nos oporteat Act. IV. 12. merum Salvatorē, in quo nihil
nisi יְיָ שָׁלוֹם vel salus, proprium Salvatorem, quia non alterius, quam ho-
minis salus, h. e. nostra, luculenter exhibet, ut Elohims salus, & hominum
salus σωτηριος , hic inter se permutentur, cum sit Elohims salus ratio-
ne principii, hominum salus ratione termini, Elohims salus ratione sub-
jecti, hominum salus, ratione objecti; Elohims salus active, hominum sa-
lus passive, Elohims salus, quoad actum, hominum salus, quoad fructum
&c. Tum redemptionis instrumentum, quod unicum dicitur, vera sal-
vificatio, fides, quæ per synecdochen h. l. per cognitionem indicatur, quod
scripturæ familiarissimum est, Esa. LIII. 12. in scientia sui justificabit
servus meus justus multos: Joh. XVII. 3. Hæc est æterna vita, ut cogno-
scant &c. hinc vere dicitur $\text{ὁ υἱὸς ἐκ τῆς σαρκὸς Ἰησοῦ}$, Luc. I. 77. sicut etiam h.
l. Psaltes idem indicare voluit, cum cognoscere salutare Dei nihil a-
liud sit, quam $\text{ὁ υἱὸς ἐκ τῆς σαρκὸς Ἰησοῦ}$, & vice versa. Hæc sola Redemptio-
nem Salvatoris apprehendit; nobisque propriam facit. Tum re-



demtionis complementum, quod consistit, & in oris fidelis confessione v. 4. & in cordis fidelis, per oris confessione splendentis, exultatione v. 5. 6. & in operis fructificatione v. 7. Denique, quod tertia Triadosophia respiciat opus sanctificationis, patet ex v. 8. qui nihil, nisi meram benedictionem, spirat, & omnem Elohimi benedictionem accommodat, quod unice fit in sanctificatione, cum nulla Benedictio DEI nobis sine sanctificatione vel contingere, vel in nobis fructum aliquem relinquere possit, ideo *to* Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat Nos Deus, & metuant eum omnes fines terrae, quoad verba fere singula sanctificationem praesupponit, sanctificationem includit, sanctificationem semper juxta se requirit,

5. (2.) Ex ordine divinorum Regnorum. Unum quidem est Elohimi Regnum, quoad *g'oiav*, sed quoad *oikovoquia* illud vulgo tergeminum dicitur, nim. regnum potentiae, regnum gratiae, & regnum gloriae: Regnum potentiae dicitur Elohimi, sed ratione creationis, quia Gen. I. 7. seqq. solus Elohimi sibi potentiae Regnum paravit, adeoque sic potentiae regnum ad Primam Triadosophiam pertinere videtur, cum haec ad creationem respiciat, prout *thes. preced.* notavimus. Gratiae regnum dicitur Elohimi, ratione redemptionis, quae tantum in Salutari, vel Salvatore Elohimi fundatur, ex quo cuncta beneficia regni gratiae, vel nostrae restitutionis, dependent, adeoque; secunda Triadosophia, dum ad Redemptorem, vel Elohimi Filium, refertur, praecedentem, ut primam, praesupponit, & tertiam, quae Glorificationem attendere videtur, & meram atque plenam solum benedictionem offerre dicitur, qualis solum in Gloriae regno fidelibus expectanda, post se requirit. Ordo propterea regnorum Dei Triadosophian, v. i. propositam, primam, locoque primo constituit.

6. (3.) Ex ipso Christianismo, qui tripliciter considerari potest, atque debet, a priori, ratione causarum, vel productionis; a formali, ratione ingredientium, vel constitutionis; a posteriori, ratione eventuum, vel consecutionis: sicut igitur juxta v. i. Christianismus noster, ratione causarum, pendet a misericordia Patris, a consilio Benedicti Seminis, qui Consiliarius Patris, consiliarius nostrae salutis, Esa. IX. 6. & ab illuminatione causali Spiritus Sancti: sic etiam idem Christianismus, quoad



quoad ingredientia, tum consistit in fundamenti positione, quod est *Salutare Dei* v. 3. fundamentum solitarium, *Christus* 1. *Cor.* III. II. tum in fiduciali huius fundamenti applicatione, nim. ut fide cognoscamus hoc fundamentum, & in eo viam omnem, tum doctrina theoreticam, tum vitæ practicam, & per veram fidem hoc *Salutare Dei*, vel hunc *Salvato-rem, Christum Jesum*, apprehendamus, atque possideamus, & in eo vias nostras ambulemus: tum in salutaris reificatione per fidelem confessionem v. 4. per fidelem nominis divini glorificationem & exultationem v. 5. cum confessione v. 6. conjunctam; & per fidelem fructificationem v. 7. Et denique *Christianismus* idem à posteriori terminatur solitaria, continua, perpetua, vel aeterna benedictione, nim. dum à malis liberati, supra maledictionem omnem peccati, persecutionem mundi, seductionem Diaboli, constituimur in gloria, ubi nulla maledictio, sed omnis benedictio regnat. *Petrus de Aliaco* in *specul.* Considerat. part. 3. c. II. duodecim privilegia Beatorum, seu plene Benedictorum, recenset inquit: Duodecim privilegia Beatorum, post generalem resurrectionem corporum figurantur: vid. sanitas sine infirmitate, juvenus sine senectute, impassibilitas sine morte, pulchritudo sine deformitate, libertas sine servitute, vel coactione, pax sine turbatione, securitas sine timore, satietas sine fastidio, vel esurie, abundantia, sine indigentia, vel paupertate, cognitio sine errore, vel ignorantia, gloria sine ignominia, vel dedecore, gaudium sine tristitia, vel dolore. Uno verbo plena Dei εὐλογία plena nostra ἐν δαυμονία. Prima Triadosophia juxta v. 1. *Christianismi causas*, secunda, juxta v. 3. 4. 5. 6. 7. *Christianismi partes*, vel essentialis notas, aut ipsam φύσιν, Tertia juxta v. 8. *Christianismi postremam* ἐκβάσιν attendit, adeoque citra dubium v. 12. *Triadosophia* jure primo loco collocanda venit.

7. (4.) Ex cultu divino: nam cum omnes *Psalmi* nihil aliud sint, quam divini cultus vel media, vel exercitia, vel indicia, vel artificia, vel ὀρυθητεία, vel ἀσκητητεία &c. *Psalms* etiam hic *Davidicus* ad cultum divinum, tanquam ardentissima quaedam precatio, vel efficacissima divina benedictionis impetratio, non inconvenienter refertur. In omni cultu notare solemus, & objecti colendi propria, vel axiomata, quæ sunt certa cultus motiva; & subjecti colentis studia, vel exerci-

sia, seu energemata, quæ sunt ipsius cultus Gymnasmata; & ipsius cultus præmia, vel privilegia, quæ cultum sequuntur, aut propter cultum ipsum colentibus conferuntur: non incongruè notare possumus, hæc cultus divini requisita in hac Tergemina Triadosophia, dum prima nobis offert Objecti colendi, quod est Elohim (dum à radice, venerationem, adorationem, servitutem significante, suum ortum trahit) axiomata, vera religiosi cultus motiva, qualia sunt Infinita Patris misericordia, Infinita seminis Benedicti, s. Filii Dei, nostræ salutis destinati, potentia, s. beneficentia, nim. per omnigenâ & infinitâ benedictionem, infinita Sancti Spiritus $\epsilon\pi\alpha\rho\upsilon\lambda\alpha$ per sufficientem illuminationem, & sufficientem ad cultum divinum expediendum dispositionem, vel instructionem; per illam peccatores Pater Elohim invitat, & commovet ad cultum divinum, adeoque misericordia Patris primum est cultus divini motivum: per istam cuncta nobis parat Elohim Filius, adeoque suis meritis benedictibus nos præparat, & permovet ad cultum divinum, adeoque Filii meritoria Benedictio dicitur acquirens cultus divini motivum: denique per hanc Spiritus S. nos applicat, & admovet ad cultum divinum, adeoque Spiritus illuminatio dicitur urgens cultus divini motivum. Secunda Triadosophia nobis exhibet omnium cultuum divinorum ἑμελιον , quod est Salutare DEi, vel $\psi\psi$, v. 3. cum in nomine Jesu cultus omnis fieri debeat Phil. II. 10. Item cultuum divinorum omnium $\delta\epsilon\gamma\alpha\upsilon\upsilon$, quod est unica fides, quæ per cognoscendi verbum, quo cognitio fiducialis designatur, luculenter explicatur, cum sine fide sit impossibile placere Deo, Heb. XI. 6. dum oculi Domini solum respiciunt fidem Jerem. V. 3. Denique cultuum divinorum artificium, quia Deum, & colimus ore, per fidelem oris confessionem v. 4. & colimus corde, per fidelem cordis latentis & iubilantis conjunctionem v. 5. 6. & colimus opere, per fidelem operis contestationem, quia tota terra Deo debet dare fructum suum. Tertia Triadosophia subjungit Divini cultus præmia, vel privilegia, quæ sunt perfectæ benedictionis, in trina repetitione DEi benedictis indicatæ: sicut igitur præmia, vel beneficia requirunt ante se vel officia, vel exercitia, sic etiâ hæc ipsa motiva præsupponunt, adeoque sic meritissimo jure præsens v. 1. Triadosophia locum primum occupat. Plura, quæ scrutinium pium nobis offert, hic introducere neque volumus, neque possumus.

8. Ut

8. Ut igitur hanc illustrem *Triadosophian*, per *Davidem* v. i. nobis exhibitam, planius & plenius introspeciamus, ad *specialia* nunc digredimur, & *Triadosophian* hanc demonstrabimus (1) ex *augusto Trinitatis Nomine*, quod est *Elohim*. (2) ex *augusta Trinitatis relatione*. (3) ex *augusta Trinitatis proprietate*. (4) ex *augusta Trinitatis operatione*. (5) ex *augusta Trinitatis applicatione, vel fructificatione*.

9. I. Ex *augusto Trinitatis Nomine* dubio procul *Triadosophia* nostra satis evidenter probatur, cum *nomina* dicantur vulgo *qs. novimina*, qua ratione *Nomen*, tanquam *principium in omni cognitione*, nobis primum argumentum suppeditat. Ut autem ex hoc nomine *Triadosophian* hanc *augustam* probemus, illud considerabimus (1) *à priori*, (2) *à formali*, (3) *à posteriori*.

10. *A priori* quando consideratur nomen hoc *Elohim*, illud duplici ratione nostram *Triadosophian* vel illustrare, vel confirmare videtur, nim. & ratione *ῥήματος*, & ratione *περύγματος*, qua ratione non incompleta fiet hæc vel *illustratio*, vel *confirmatio*,

II. Ratione *ῥήματος* Vox *Elohim* *à priori* varias sortitur ap. *Autores* derivationes, quarum aliqua nos omnino vere deducunt ad ipsam *Triadosophian*. *R. Nachamani* cum aliis non tam ex singulari *יהוה*, quam ex aliis primitivis vocē *Elohim* deduxit, ut sit *qs. יהוה-יהוה* robur eorum, quod tam *κατ' ἑσω* *divinas personas*, quam *κατ' ἔξω* *divinas creaturas* respicere videtur: utraq; ratione provehimur ad *SS. Trinitatis meditationem*: priori modo *κατ' ἑσω* respicit *personas divinas* *qs. dicatur κατ' ἔξω* *robur eorum*, i. e. in *Deitate subsistentium*, siquidem & *Pater* est *robur*, & *virtus essentialis*, quia talem *virtutem essentialem* per *generationem æternam* communicat *Filio*, & per *spirationem ineffabilem* cum *Filio* *virtutem essentialem* *Spiritu Sancto* quoq; communicat: *Filius* etiam est *Virtus & robur* *Luc. I, 35, 1. Cor. I, 24.* & *Spiritus Sanctus* quoq; *Virtus*, sive *robur* *Luc. XXIV, 49. Act. I, 8. 1. Cor. II, 4, 5.* posteriori respectu *κατ' ἔξω* diceretur hac ratione *Virtus & robur creatorum*, vel *rerum creatarum*, sicut ex *Gen. I, 1. seqq.* colligitur, ubi *Deus Elohim*, tanquam *Autor Creaturarum* describitur, & sic etiam *sustentator* est à se productarum *creaturarum*, quæ in *Deo* sunt, *vivunt*, & *moventur* *Act. XVII, 28.* quia *πάντες ἐν αὐτῷ*

2
ἐν αὐτῷ συνέστηκε Col. I. 15. Sic de fidelibus II. Sam. XXII. 32. dicitur:
Nemo est petra similitudinis præter יהוה Deum nostrum, cum pri-
mit quia Elohim sunt אלהים qui fecerunt creaturas Job. XXV. 10. Psal.
XLIX. 2. Esa. XLIV. 2. LIV. 5. nam Faciens Creaturas est Pater, Faci-
ens Creaturas est Filius, Faciens creaturas est Spiritus S. & tamen non
sunt tres Factores, vel Creatores, sed unus essentialiter creaturarum
Factor, vel Autor Idem autem Elohim, qui fecit Creaturas, idem quo-
que benedixit creaturis Gen. I. 22. 28. c. II. 3. quibus in locis, ad histo-
riam Creationis spectantibus, non modo semper Elohim tantum no-
men introducit, sed etiam Elohim soli benedictio Creationis tri-
buitur, & quod notatu dignum, neq; pluribus, neq; paucioribus, quam
tribus vicibus repetitur, ut hac ratione Trinitas in subjecto, Trinitas
in prædicato, luculenter insinuaretur, quando nim. Moses inquit:
Elohim benedixit: nam hic Elohim est Pater, vel Dicens Elohim, Filius
vel Verbum Elohim, & Spiritus Sanctus, qui vocatur Spiritus Elohim
Patris & Filii Gen. I. 2. quæ vera Personarum Trinitas, Creantium
Trinitas: Sic etiam Pater est Elohim Benedicens Gen. I. 22. qui refertur
ad Creaturas promiscue, tanquam Creator, cum Patri communiter
Opus Creationis adscribatur, hinc etiam primus omnium, tanquam
Benedicens animalibus d. I. producit: Alius Elohim Benedicens
v. 28. notatur in Hominis Benedictione, qui non inconvenienter
Filius dicitur, quia peculiare in homine, vel apud hominem delici-
as quærit, & invenit Prov. IIX. 31. & Hominum peculiaris Patronus &
Advocatus apud Patrem dicitur 1. Joh. II, 2. Alius Elohim Benedicens,
qs. terminans c. II, 3. producit, qui non incongrue dicitur Spiritus
S.; dum circa completionem operis creationis, circa visionem &
contemplationem creaturarum, circa cessationem ab opere creationis,
circa sanctificationem Sabbathi &c. producit, quæ singula Spiritum
S. respiciunt. Talis Elohim Benedicens etiam hic apud Psalmen in-
venitur, cum hæc quoq; Benedictio Psalmica suo modo fundetur in
Creationis Benedictione, Alii derivationes vocis Elohim, alias notare cõ-
sueverunt, quas modo brevitatis ergo ne utiqua attendere volumus.
Omnium convenientissima dicitur, qua deducitur ab inusitata Hebræis
radice אלהי quæ tn. adhuc in cognatis linguis, cum primis Arabica re-
peritur,

peritur, & *servire, colere, adorare* significat: Sic igitur vox *Elohim* vi *derivationis* propriè notat *Personas SS. Deitatis, vel Trinitatis*, ob *Majestatem, vel dignitatem infinitam, adorandas & religiose colendas*, quæ significatio, vel etiam derivatio maxime præsentis *Psalmo Benedictionis* congrua videtur, cum hæc *benedictio plurima & maxima Dei*, imo *cuncta Dei beneficia*, destinata nobis, vel in *regno potentie*, vel in *regno gratie*, vel in *regno glorie*, summariter includat, propter quæ *beneficia numero plurima, magnitudine prorsus immensa, virtute efficacissima, æstimio preciosissima, & prorsus inestimabilia*, nossem *Elohim omnibus religiosis officiis, omni reverentia, veneratione, celebratione, glorificatione, gratiarum actione, servitute & cultu* prosequendus.

12. Ratione *πρότυπον* etiam à priori Nomen *Elohim* nos in *Triadosophias* cognitionem deducit, quia sicut non semel indicatum, hic *Psalmus* maximam cum *Benedictione solenni Num. VI. 24. vel analogiam, vel Harmoniam* præ se ferre dicitur, ita quidem ut *Benedictio solennis* sit *informativum*, & hic *Psalmus Benedictionis* præsens *Responsorium*, illa sit *Benedictionis propositio*, hic autem *Benedictionis repetitio*, illa fit in nomine *Jehova*, per *Ministros* benedicentes, hic *Psalmus* fit in nomine *Elohim* per *Auditores*, *Benedictionem* recipientes: sic quasi *Corpus unum Benedictionis* constituitur, & per ipsum *Dominum Benedicentem, Jehovah Elohim*, & per ipsum *opus benedictionis*, & per *Cæterum Ecclesie benedictam*, conjungitur: quo pacto Nomen *Elohim* loco primo positum, & sæpius in hoc *Psalmo* repetitum, æque *Mysterium Trinitatis* respicit, sicut antecedens suum, *Jehova*, non aliud in *Benedictione solenni*, quam *Triadosophiam Benedictam*, inferre deprehenditur. Sic igitur *Antecedens, Jehovah nomen, & præsens Elohim* conjunctim ostendit, *Jehovam Elohim, Deum* quoad *Essentiam Unum*, & quoad *personas Trinum*, *benedictionis* hujus *Psalmodicæ genuinum autorem* esse, quod evidentissimum *Triadosophias* Symbolum est.

13. Posthæc à *formali* quoque Nomen *Elohim* *Triadosophias* *indicia* nobis suppeditat. sive *formalem significatum*, sive *formalem positum*, sive *formalem actum*, hic attendamus. Quoad *formalem signi-*

B

ficatum

ficatum facile largimur, nomen illud *Elohim* generaliter numeri pluralis esse, pluralem significationem habere, nullum definite numerum referre, sed indefinite pluralitatem nudam inferre: cum verò nomina sint juxta materiam substratam intelligenda, notumque sit apud omnes probatores, sive Theologos, sive Philologos, Nomen hoc *Elohim*, juxta Phraséologiam Biblicam, Deo proprium esse, in Deo verò non indefinitum, sed definitum personarum numerum inveniri, nimirum ternarium, cum primis quoad textualem explicationem, applicationem, restrictionem, &c. etiam hunc pluralem *Elohim* ad Trinitatem determinare; sic nulli dubitamus asserere, Nomen *Elohim* h. l. Trinitatis symbolum, atque speculum esse, quod multis ex visceribus textus deducere possemus, nisi tractatio subsequens evidenter illud multis indiciis ostendere posset. Intelligitur hic per *Elohim*, quoad formalem significatum, *Benedicens Elohim Pater, benedicens Elohim Filius, & benedicens Elohim Spiritus Sanctus, unus Verus Deus.*

14. Nec aliud quoad formalem Nominis *Elohim* positum colligere possumus, dum in toto Psalmo Nomen hoc *Elohim* agmen ducit, nullum ante se vocabulum admittit, cuncta reliqua Psalmi verba post se constituit, & sic, tanquam caput *Benedictionis*, totum corpus *benedictionis*, tanquam fons *benedictionis*, omnes fluvios & rivulos *benedictionis*, tanquam autor *Benedictionis* omnia verba, cuncta media, universa genera *Benedictionis*, post se trahit, ideò positus hic in primo loco maxime notabilis est. Multis enim modis nos in Triadosophias meditationem hic locus primus & augustus introducit (1) propter primam in Scripturis *Elohim*, vel principium, quia David Eundem *Elohim* hic primo loco notare voluit, qui primus omnium in Scriptura tota producitur: Jam *Elohim*, Gen. I. 1. 2. 3. est *Elohim Pater, Filius & Spiritus S.* Ergo quoque David hic *Elohim Patrem, Filium & Spiritum S.* intelligit. (2.) propter primitivæ *benedictionis* solennis correlatum; nam quia vox hæc *Elohim*, ut antea notatum, respicit ad primitivum suum, vel ad suum correlatum in *Benedictione* solenni, quod est nomen *Jehova*, nim. ut omnis *benedictio* vera pendeat ab eo, qui est *Jehova Elohim*, ideò statim in principio Psalmi ponenda fuit, ut eò clarior, certior, & firmitior, esset illa magni Nominis illius relatio, & eò facilius
ab

ab omnibus cognosceretur: sicut autem illud Nomen *Jehova*
Benedictionis solennis, fuit *Trinitatis* illustre *speculum*, sic idem etiam
 de *praesenti* Nomine *Elohim* dicendum, cum sit *unum nomen*, *unum*
nominis hujus augusti significatum. (3.) *propter nominis utriusque ne-*
xum: licet enim per se nomen *aliud* sit *Jehova*, nomen *aliud* quoque
 sit *Elohim*, sicut passim in *sacris literis* videre licet, tamen quoad
solennes actiones Dei saepius haec *dua Nomina* coalescunt in *unum au-*
gustum Nomen, quod est nomen *Jehova Elohim*, quodque *Dei Tri-*
unitus significativum est, cum *Unitatem in Trinitate* nomen *Jeho-*
va, *Trinitatem in unitate* vero vox *Elohim* denotet, sicut videre li-
 cet in primis, quoad *Homini productionem* Gen. II. 5. ubi *primum* no-
 men hoc *augustum Jehova Elohim* adhibetur; quoad *hominis redem-*
tionem Gen. III. 8. seq. ubi semper vox *Jehova Elohim* introducitur,
 & octo vicibus in *historia restitutionis lapsi hominis* I. d. repetitur: in *ho-*
minis per legem obligatione Exod. XX. 2. &c. sic etiam, ut in *solenni be-*
nedictione Nomen hoc *augustum* occurreret, *Moses* instinctu *Spiri-*
tus Sancti tantum Nomen, *Jehova*, *David* autem Nomen saltem *Elo-*
him adhibere voluit, ut *Benedictio solennis*, tanquam *divinae benedi-*
ctionis promtuarium, ad *Psalmodicum* hoc *animae fidei suspirium*, & *ve-*
re benedictionis desiderium respiceret, & haec *benedictio Psalmica*,
 cum illa *Benedictione Mosaita*, *concurso* quodam *amico*, & *divinitus*
intento, nobisque *necessario*, conformiter in *unam benedictionem*
coalesceret. Sicut igitur in illa *benedictione solenni Jehova* nomen
Mysterium Trinitatis indicat, ita pariter in hac *benedictione Spiritua-*
li nomen *Elohim SS. Trinitatem* importat. (4.) *propter aliarum benedi-*
ctionum solenniorum consensum: nam si *Jacobi Benedictionem* solen-
 nem, qua *filiis Josephi* benedicere voluit, conferimus, & *יהוה*
Patriarcha *distinctis vicibus* introducere, & *nomē* hoc *Benedictum* semper
 primo loco ponere, atque sic *Benedictionis* *omnis fontem*, *SS. Trinitatē*,
 ostendere constituit Gen. XLIX. 15. inquit: *יהוה* *Deus*, in cu-
 jus *conspectu* *ambularunt* *Patres mei*, *Abraham & Isaac*: *יהוה*
Deus, qui *pascit me* *ab adolescentia mea*, usque in *praesentem diem* &c. &
 ut *harmonia* *rectius* inter hanc *Jacobi*, & inter *praesentem Davidis be-*
nedictionem *innotesceret*, *tertium Elohim*, *nim. Filium*, *Jacobus* vocat



Angelum Coelem, liberatorem ab omni malo, dicens: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: quem h.l. David v.3. אֱלֹהִים salutem tuam, vocat. itidem ex Jacobea meditatione, benedictione, & valedictione Gen. XLIX. 18. אֱלֹהִים salutare tuum expectabo, Domine; sicut igitur Nomen Elohim in Jacobea Benedictione loco primo collocatur, & per Elohim non alius, quam Deus Trinunus, notatur, sic etiam David h.l. Nomen Elohim loco primo posuit, & nullum alium, quam Deum Trinunum, significare voluit. (5.) propter variarum benedictionum dissentientem statum: nam habemus in Sacris literis immediatas benedictiones divinas, quando nim. Deus ipse benedictionis privilegia nobis hominibus offert; & iterum habemus alias mediatas benedictionum formulas, quando vel sibi, vel aliis, in nomine Dei benedictionem homo fidelis confert: in illis plerumque licet observare, quod Deus benedicendi Verbum Nomini suo praemittat, adeoque praesumo amore benedictionem & felicitatem nostram magis, quam suam dignitatem attendat, prout apparet ex Gen. I. 22. 28. c. II. 3. c. IX. 1. &c. ubi semper verbum אֱלֹהִים praemittitur augusto nomini Elohim: quo pertinet etiam solennis & universalis formula benedictionis, quae vere dicitur ipsius Jehovae Num. VI. 24. 25. 26. dum ibi pariter verba, benedictionem inferentia, semper in omnibus versiculis nomini Jehovae praemittuntur, cum huic benedictioni peculiariter Jehova praesens sit, ut omnibus in vera fide benedictionem desiderantibus, & per veram fidem eam acceptantibus, ἀπέσως quasi, hanc benedictionem, conferre velit: sed in aliis formulis benedictionis, ubi vel aliis, in nomine Dei, fidelis homo benedictionem divinam precatur, vel per fiducialem orationem sibi metipso talem benedictionem apprecatur, ibi Nomen Dei solet ex parte Dei, venerationis ergo, sed ex parte fiducialiter orantis, humiliationis causa, praemitti, primoque loco statim poni, partim ut benedictionis Autor primo loco statim ostendatur, partim ut omnis oratio benedicens sub ingressu primo statim ad Auctorem benedictionis dirigatur, partim ut attentio debita precantis per nomen aliquod Dei vel augustum; vel efficax, accendatur, partim ut precatio benedicentis sub initio statim recte fulciatur, seu fundamentum ipsum rite collocetur, partim ut devotio benedicentis

centis per hoc *α*, tanquam per *animam* spiritualem animetur, *partim* ut sub hoc duce devotio nostra *tum* commoveatur, *tum* continetur, *tum* ad finē usq; promoveatur &c. sicut igitur hoc vidimus in *Benedictione Jacobina*. *Josephi* filiis ex ardentissimo cordis amore destinata, quod etiam in *aliis Benedictionibus* observatur: sic etiam h. l. *David* sibi, totique *populo* suo, *Benedictionem* inpetraturus sub initio statim *Elohim* Nomen introducere, suam *humilitatem* erga *DEI* *Majestatem*, suam *fiduciam* erga *DEI* *bonitatem*, suam *πρῶτον* erga *DEI* *benevolentiam*, *spemque* suam firmissimam erga *DEI* *beneficentiam* manifestare voluit. Sicut in *aliis* ejusmodi *Benedictionum* *formulis* statim sub *Exordio* *precaationis*, vel *Benedictionis*, sub *Nomine* quodā augusto *Deum* *Trinum* loco fundamenti positur; sic etiam non ad alium, quam ad *Deum* *Trinum*, h. l. *David*, sub *Elohim* nomine primo respicere, nosq; statim etiam ad *Eum* sub *exordio* *primo* manuducere voluit.

15. Deniq; per ipsum *formalem* *Nominis* *Elohim* actū etiam ad *Triadosophias* *contemplationē* deducimur. Cū enim ex *formali* *significatu*, vel *sensu* vocis etiā *actus* non obscure pendeat, ideò considerabimus hunc *actum* *formalem*, tū *ratione* *Dei*, quo pacto notat, & *actū* *religiosæ* *significationis*, quā supponimus, adeoque vox *Elohim* *actu* designat *summum* & *religiose* *colendum* *Numen*, quod, juxta totam *Scripturam* *Sacram*, est *Pater*, *Filius*, & *Spiritus* *Sanctus*, ad cujus *demonstrationem* neutiquam plura cumulare volumus: & *actum* *religiosæ* *venerationis*, quia summe veneratus est *David*, *Rex* *Israelitarum* *summus*, quo *bellicosior*, *potentior*, & *victoriosior*, inter *Israelitas* nec ante, nec post ipsum extitit, hunc *Elohim*, quemadmodum passim ex *Psalms* videre licet, & insuper nos etiam in suis *Psalms* ad *religiosam* *venerationem* hujus *Elohim* excitavit: jam autem sua *veneratione* *David* ad *Deum* *Unitrinum*, *Elohim*, vel *Jehovam* *Elohim*, semper respexit: sic etiam hic ad *Dei* *Trinunius* *venerationem*, *Elohim* voce, nos manuducere constituit, & *actum* *religiosæ*, vel *spiritualis* *adorationis*, quia vox *Elohim* *nativa* sua, vel *derivatione*, vel *significatione*, *Deū* *Trinum* *adorandum* notat, quod itidem in numeris ex *sacris* *literis* *documentis*, vel etiam quamplurimis *Psalmodicis* *argumentis*, de-

8
monstrari posset: cum igitur Nomen *Elohim* actum adorationis religio-
sæ secum ferat, & ipsi Deo Trinuni deferat, actu quoque David non
solum actum adorationis religioſæ præſtare, ſed nos etiam ad actum
adorationis religioſæ ſimiliter invitare conſtituit: & actum religio-
ſæ, vel ſpirituæ invocationis, qualis invocatio religioſa, juxta ſcriptu-
ram univerſam, Unitrino Deo debetur, in quem ſpatioſiſſimum
campum præſentem diſputationem pariter dimittere nolumus: ſic
igitur David h. l. pariter invocationis religioſæ debitum exſolvere,
ſunctosque fideles ad ejus ſolutionem exemplo, factoque ſuo com-
moveſcere voluit: alios hic actus ratione Dei, ſive ſint celebrationis,
ſive ſanctificationis, ſive gratiarum actionis, ſive glorificationis, hic
etiam attingere nolumus, licet ex collatione locorum aliorum
demonſtrare difficile non foret, hæc omnia convenienter ad no-
ſtram Triadoſophiam conſpirare. Tum ratione *Pſalmi*, ſic omnino
noſter *Elohim* formaliter agit in omnia *Pſalmi* membra, in omnia
Pſalmi commata, in omnia *Pſalmi* verba, cum *Elohim* totius *Pſalmi*
ſit *Alpha*; totius *Pſalmi* cauſa totius *Pſalmi* cauſalis energia, per quem
omnia, quæ ſunt in *Pſalmo*, vitæ & energiam conſequentur: jam autem
omnia quæ ſunt in *Pſalmo*, conſpirant ad *SS. Trinitatis* Myſterium: ſic i-
gitur infallibiliter ex eo deducitur, quod principium omnis energias,
Elohim, pariter ad *SS. Trinitatem* reſpiciat. Tum ratione rei, quæ
Benedictio dubio procul appellatur, cum totus hic *Pſalmus* ſit *Bene-
dictionis* *Pſalmus*: jam *benedictio* vera reſpicit *SS. Trinitatem*, ſicut &
ex ſoleni, & pariter ex alia quavis ſingulari *Benedictione* probari poſ-
ſet. Actus igitur *Elohim* *Benedictionis* eſt reſpectus *SS. Trinitatis*. Tum ra-
tione noſtri, cum non alius, quam homini, hic actualis intendatur be-
neditio, quæ beneditio *SS. Trinitatem* oſtendit, ſive reſpiciamus be-
neditioem, quoad hominum creationem, ſive quoad hominum redem-
tionem, ſive quoad hominum ſanctificationem, quod partim ſuperius evi-
dum eſt, partim aliis multis locis confirmari, vel etiã illuſtrari poſ-
ſet. Sic igitur Vox *Elohim*, quoad varium formalem actum non obſcu-
rè nos in *Triadoſophias* cognitionem deducit, & multiplicem occasio-
nem ad *SS. Trinitatis* meditationem hac ratione luculenter tradit.

16. Tandem vocem *Elohim* etiam à poſteriori notare, & hoc etiam
pacto

39
ce

paſto *SS. Trinitatem* vel explicare, vel demonſtrare deberemus. Nolumus autem nunc ex aliis locis Scripturæ vocem *Elohim* à poſteriori vel declarare, vel hoc reſpectu talibus ex dictis *SS. Trinitatem* demonſtrare; ſufficiat brevitas ergo ſaltem noſter *Pſalmus* *ευλογητός* qui fundamenta nobis mediata, proxima, intrinſeca, & hanc ob rationem optima, ſuppeditat. Tot enim & tanta *Trinitatis* vel argumenta, vel fundamenta, Nomen *Elohim*, quoad textum, poſt ſe trahit, ut eorum catalogum indicare vix audeamus. Nam quo diutius hunc *Pſalmum* adſpicimus, quo penitius eum introſpicimus, & quo diligentius ejus verba perpendimus, aut quo religioſius inter ſe realia conferimus, vel quo ferventius ad benedictionem, ejusque *Promum condum* cognoscendum contendimus, eò plura *SS. Trinitatis* documenta deprehendimus, licet propter intellectus imbecillitatem, propter mentis obſcuritatem, propter indagatiſſimam infirmitatem, ſingula nullatenus obſervare queamus. Hic autem nihil eorum adducere, ſed potius cuncta, quæ poſſent à poſteriori dici, & pro *Triadoſophia* noſtra moveri, ſtudio brevitas ad ea, quæ mox in ſequentibus deducenda veniunt, lectorem benevolum remittimus.

17. (II.) Ex *Auguſta SS. Trinitatis* relatione. Nomen enim *Elohim* nec *absolutum* eſt, nec *absolutè* nobis in hoc textu repositum eſt. Nam quod vox *Elohim* *relativa* ſit, illud probatur (i.) ex prima *Nominis* hujus introductione, quæ *Gen. I. 1.* reperitur. Nam in hoc *auguſto Scripturarum* divinarum initio non una ſtatim hujus *Vocis* inſinuat *relatio*, cum *Elohim* referatur *partim* ad *personas divinas*, quæ poſtmodum ordine producuntur; *partim* ad *varias energias divinas*: licet enim *καὶ ἕως*, vel *ἕως* tantum una ſit *essentialis energia* Dei, tamen *καὶ ἕως* *varias actiones* pro *diſtinctione*, tum *verborum*, vel *creantium mandatorum*, tum *diverſorum creandorum obſectorum*, tum *diverſorum temporum*, tum *effectuum diverſorum*, inſtituiſſe perhibetur, cum alia ſit actio, qua produxit *lucem*, alia qua poſuit, & diſpoſuit *firmamentum*, alia qua collegit *aquas*, alia qua firmiter fundavit *terram*, &c. *partim* ad *totum macroſmum*, quia dicitur *creaſſe cælum & terram*; v. i. quæ verba, juxta nonnullos *Interpretes*, ad creationem *mundi* totius reſpiciunt; *partim* ad *varias in ſpecie creaturas*, quia non tantum univerſas ſua potentia creaturas produ-

produxit, sed & singulas pro infinita sua sapientia, vid. unquamlibet in essentia sua propria, mirabiliter formavit. Si proinde primus ortus, & primus usus, vocis Elohim relativus est, & vulgo dicitur, quod primum in genere quovis sit principium, norma, speculum sequentium, vel derivatorum, sic facile colligere promptum est, hunc Dei titulum ἀληθῶς esse relativum. (2.) ex immediata primæ introductionis explicatione: nam Gen. I, 1. non tantum prima Nominis hujus augusti Dei Θεοῦ traditur; sed illustris ejus exegesis immediate subjungitur, quia Nomen hoc Elohim exponitur, partim de Elohim Dicente, vid. Patre; partim de Elohim Verbo, seu Dicto, partim de Elohim Spiritu, nim. Patris & Filii v. 2. quemadmodum hæc pluribus in Disput. de Myst. Trinit. ex Historia Creationis, deduximus. Hac vice saltem monemus, quod Pater Dicens, & sapius Gen. I. disertis verbis adducatur, & à Verbo seu Dicto, necessario, tanquam Dicens, præsupponatur, imò pariter à Spiritu, tanquam Dicens, prærequiratur, cum primis quia Spiritus hic est Spiritus oris Jehovæ Ps. XXXIII. 6. Filius autem quod sit λόγος, vel Verbum, quod in principio creavit, illud ex authentica tum V. tum N. T. explicatione liquidissimum. Ex unoquoque saltem, unicum producimus testimonium. Psalm. XXXIII. 6. diserte talis explicatio: Verbo Jehovæ, celi creati sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum: quod illustre testimonium etiam Rabb. Veteres de Verbo substantiali, seu Filio DEi tum intellexerunt, tum exposuerunt. Sic Job. I. 1. clarius, & pluribus illud explicatur: In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil, quod factum est. Non autem hic aliud intelligitur Verbum, quam Ipse DEi Filius, qui pro nobis carnem assumpsit, sicut v. 14. legitur: Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & Veritatis. Quod per Spiritum Elohim nullus alius indicetur Spiritus, quam ipse Spiritus Sanctus, illud ex eo manifestum est, quia per universam Scripturam, tum V. tum N. T. tanquam Spiritus Patris, & Filii describitur, & introducitur, nec aliud ipsam opus creationis admittit, (3.) ex plena vocis Elohim suppositione:

Nam



Nam si loca scripturæ conferimus, in quibus vox *Elohim* proprie de Deo reperitur, *trinam* potissimum *suppositionem* offendimus: nam sumitur (a) pro *tribus personis*, quando nim. omnes *tres personas Deitatis* conjunctim infert. (b) pro *duabus personis*, quando vid. *duas* saltem *personas* notat, ut *tertia* vel subintelligatur, vel aliis *distinctis characteribus* indicetur: (c) pro *una tantum persona singulari*, ex his *tribus Elohim*: jam *omnis* ejusmodi *suppositio* Gen. I. 1. 2. & 3. statim in *augusto sacrarum literarum exordio* luculenter invenitur. Nam v. 1. supponitur pro *omnibus tribus personis*, quando dicitur: *In principio creavit Elohim Cælum & terram*: v. 2. supponitur pro *duabus personis*, *Patre* videl. & *Filio*, quia *tertia* persona *Spiritus Elohim*, i. e. *Patris & Filii*, nuncupatur. V. 3. supponitur pro *persona Patris* singulari, quia *Elohim* tanquam *Dicens* introducitur, *Dicens* autem est *Pater*, qui *revera* per *Verbum* ὁμοούσιον, & in *Spiritu Sancto* ὁμοούσιον cunctas res produxit: jam autem *omnis* hæc *Suppositio* vocis *Elohim*, Gen. I. 1. tradita, dicitur non *absoluta*, sed *relativa*, quod multis explicare possemus: nisi res *omnis* in vado versaretur (4) *ex Vocis Elohim consideratione*, quia vulgò dicitur, quod hoc *Nomen Elohim* sit *personale*: jam autem in doctrina de *DEO* quadantenus *absoluta* vocantur *essentia*, sed *personalia* dicuntur *relativa* (s) *ex Nominis augusti collatione*, quia *principale DEI Nomen* vocatur *Jehova Elohim*, ita quidem, ut *Jehova* notet unam *eminentissimam DEI Essentiam*, sed *Elohim* designet *distinctam in DEO subsistentiam*. Hac ratione *Jehova* refertur ad *Elohim*, quia non est *unus verus Deus*, nisi in *Trinitate* personarum; & *Elohim* quoq; refertur ad *Jehovam*, quia non est *Trinitas personarum*, nisi in *unitate essentia*, quoniã secundum *Athanasianum Symbolum*, *Catholica fides hæc est*, ut *unum Deum in Trinitate, & Trinitatem, in unitate veneremur*. (6) *Ex consueta Nominis Elohim usurpatione*, quia familiarissimus est usus *Nominis Elohim* in *sacris literis*, quando v. de *Deo* notatur, *semper relativam significationem* obtinet, cum primis in *solennibus Dei revelationibus & operationibus*, prout superius etiam demonstratum, qualis *operatio solennis* est *Benedictio divina*, per quam *gratiosissimam operationem* omnia *beneficia* nobis *divinitus* contingunt. (7) *ex Psalmodi-*

G

capo



ca vocis Elohim adhibitione, quia titulus hic augustus à *David*, vel etiam *Israelitarum Ecclesia tota*, Deo non alia ratione, quam *relative*, tribuitur, cum respiciat *Mysterium Trinitatis conjunctim*, *personas singulas speciatim*, omnia *beneficia pulcherrimæ*, vel *fructuosissimæ Benedictionis universim*, quæ cum aliis *relativam suppositionem* hujus *Nominis* confirmant.

18. Deinde pariter observandum, quod non modo *generaliter* aliquam *relationem* vox *Elohim* importet, sed quod etiam *specialiter* *relationem* ad *SS. Trinitatem* inferat, quod itidem ex *substrata materia* manifestum. Nam quod h. l. Vox *Elohim Deum* significet, tanquam *adorationis religiose solitarium objectum*, tanquam *Majestatis divinæ subjectum*, tanquam *omnis benedictionis principium*, illud ex eo certum, quia *David* in hunc *Elohim* omnem suam *attentionem*, *spiritualem cordis devotionem*, *fiducialem oris precationem*, adeoq; *religiosam vel invocationem*, vel *adorationem*, h. l. dirigit: quod autem in *Deo vero* sit *personarum Trinitas*, illud ex *universa scriptura* tum *V. tum N. T.* prorsus indubium: Jam quia *Nomen Elohim* hic statim ab initio proponitur, & omne *religiosum alloquium* ad *Elohim* dirigitur, hic, & non alius *adoratione religiosa* colitur, ab eo solo *benedictionis* omnis favor expetitur, ideò non potest, neq; debet alius intelligi, quam *unus verus Israelitarum Deus*, qui vere dicitur *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, sicut e collatione locorum *Scripturæ V. T.* luculenter apparet.

19. Deniq; notamus in *Elohim* nomine *relationem ipsam SS. Trinitatis*, quia *Tres personæ mutuam* inter se *relationem* necessario requirunt. Hoc igitur supposito, quod *Elohim* hoc loco, juxta *Davidis* intentionem, *SS. Trinitatis symbolum & speculum* sit, convenientes *personarum relationes* inquirere, non erit infructuosum. Cernimus in hoc *augusto nomine* (1) *speculum personalis originis*: cum enim in hoc *Elohim* personæ *plures* sint, & quidem *determinate tres* necessum igitur erit, ut vel *ejusdem*, vel *distinctæ sint personalis originis*: illud, juxta *scripturam*, dici neq; potest, neq; debet: manet igitur *distincta personarum Trinitatis origo*, nim. *Pater Elohim* est à seipso, *Filius Elohim* est à *Patre solo*, *Spiritus Sanctus Elohim* est à *Patre*, simul & à *Filio*.

Filio. (2) *Speculum personalis ordinis*; cum enim *distinctæ* sint in Deitate *personæ*, adeoq; suo modo *multæ subsistendi rationes*, vel erit in his *confusio*, vel *ordo*, cum alias de quavis multitudine vulgo dicatur, quod omnis *multitudo* vel sit *ordinata*, vel *confusa*: sed quia *confusio deformitatem*, imò quoq; sæpius *turpitudinem* parit, ideò nullatenus de *pulcherrima, sapientissimâq; Deitatis essentia confusio* dicenda, vel admittenda venit: manet igitur *pulcherrimus* inter Deitatis *personas ordo*, juxta quem *Pater Elohim est prima Deitatis persona, Filius secunda, Spiritus Sanctus tertia.* (3) *Speculum personalis distinctionis*, quia cum *personæ sint rationes essendi peculiare, vel contractiores*, aut etiam *essendi termini, vel distinctæ subsistentiæ*, ideò in voce *Elohim* notamus *distinctam subsistentiam Elohim Patris, distinctam subsistentiam Elohim Filii, distinctam subsistentiam Elohim Spiritus sancti.* (4) *Speculum personalium characterum*, quia *Pater Elohim ab æterno generavit Filium Psal. II. 7. in unitate Essentiæ, tanquam verum Elohim, & Spiritus Sanctus, tanquam Elohim à Patre, Filioq; spiratur, & per in effabilem spirationem ab utroq; procedit*, siquidem omnes hi *tres Elohim* sub hoc nomine nobis exhibentur, & ad se mutuò referuntur. (5) *Speculum distinctorum attributorum*; licet enim & *miseriçordia, & potentia, & sapientia*, sint *essentiales* in Deo *proprietates*, & sic ex æquo singulis personis conveniant, tamen suo modo quoq; juxta scripturam peculiariter ad *certas personas* accommodantur, quia *miseriçordia* communiter tribuitur *Elohim Patri*, quoniã *Pater est יְהוָה אֱלֹהֵינוּ*, & meras in corde suo *miseriçordias*, tanquam *filiis* parit, II. Cor. I. 3. *Potentia*, & inde pendens *Beneficentia*, competit *Elohim Filio*, tanquam *semini benedictio*, quod copiosissimam *Benedictionis* messem post se requirit: *Sapientia*, & hiuc promanans *illuminatio*, refertur ad *Spiritum Sanctum*, qui *Lumen* est cordium nostrorum, & *Spiritus sapientiæ & intelligentiæ* Esa. XI. 2.

20. III. *Ex Augusta SS. Trinitati proprietate* satis etiam evidenter atq; potenter *Triadosophia* nostra demonstratur. *Proprietates* verò *Deitatis* non unius sunt *conditionis*, cum aliæ sint *essentiales*, aliæ *personales*. *Essentiales* dicuntur, quæ Deo, quoad *essentiam*,



in sacris tribuuntur, adeoq; singulis personis competere dicuntur: Sicut enim una *communis essentia* competit *personis* singulis, quia *Tres sunt, qui testimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi TRES UNUM ESSE* dicuntur; sic etiam omnes *proprietates essentiales* singulis *personis* communes esse deprehenduntur. Nam cui competit alicujus rei *quidditas & essentia*, ei necessario quoq; *proprietates essentiales* conveniunt. Notum est autem, quod *essentiales* istae *proprietates dupliciter* considerari soleant (1) ἀπλῶς, ut sunt *unius communis essentiae*, sic verè sunt, & manent omnibus *tribus personis* communes, & *directe*, vel *immediate* nihil, aut parum pro *Triadosophias* demonstratione conferre possunt. (2) ἑλικῶς, quatenus eadem *attributa*, vel sub *certa relatione*, vel sub *clara limitatione*, vel sub *distincta* quadam *appropriatione*, non inconvenienter ad *distinctas*, easq; *certainas Trinitatis personas* referuntur.

21. Sub *certa relatione proprietates essentiales* ad *distinctas personas* passim in scripturis referuntur: e. g. quando vel de *Patre*, vel de *Filio*, vel de *Spiritu S.* distincte verba fiunt in quodam loco, simulq; *proprietates essentiales* introducuntur, citra dubium *attributa*, quotquot in textu producta sunt, ad peculiarem illam, de qua sermo, *personam* referuntur: e. g. *Christus* Joh. XVII. in oratione θεογονίῳ prolixè verba facit ad *Patrem* suum, & in eadem oratione *varia propria Deitatis*, *partim* disertis verbis allegat, *partim* implicite subindicat, quæ citra dubium ad *Patrem*, de quo sermo, neutquam autem ad aliam *personam*, rectissime referuntur. Sic etiam *Christus, DEi Filius*, dicitur *DEi virtus & sapientia* 1. Cor. I. 24. quis hic ad alium, quam ad *Christum*, hæc *essentia prædicata* referret? In multis *Psalms*, & *propheticis vaticiniis*, de *Filio DEI* sermo, & similiter in illis *essentia propria* producuntur, quæ dubio procul ad *immediatum subjectum* referenda sunt, quod prolixè demonstrari posset, si chartarum angustia tale quid permitteret. *Spiritus Sanctus* Esa. XI. 2. dicitur *Spiritus sapientiae & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiae & timoris Domini*. Sic in his, & similibus locis *essentiales proprietates* modo referuntur ad *Patrem*,
modo

modo ad Filium, modo ad Spiritum S. & tamen proprietates essentialis manent, licet $\alpha\epsilon\sigma\iota\nu$ ad certam personam inferant.

22. Præterea quoq; per certam limitationem proprietates essentialis ad certas personas determinantur, quia Patri potentia tribuitur $\alpha\gamma\epsilon\nu\eta\tau\omega\varsigma$, Filio competit potentia $\gamma\epsilon\nu\eta\tau\omega\varsigma$, & Spiritui Sancto non alia, sed eadem potentia tribuitur $\epsilon\kappa\pi\omicron\gamma\epsilon\upsilon\tau\omega\varsigma$, quia potentia Patri competit à se citra generationem, vel spirationem, Filio potentia competit non à se, neq; per spirationem, sed per æternam Patri generationem, Spiritui Sancto convenit, itidem non à se, neq; per æternam generationem, sed per ineffabilem Patri & Filii spirationem. Idem iudicium ferendum quoq; de divinis proprietatibus aliis. e. g. h. l. tribuitur Elohim à Davide misericordia, sic Elohim Patri misericordia tribuitur ingenita, Elohim Filio genita, Elohim Spiritui Sancto procedens: Elohim Patri tribuitur benevola benedictionis potentia ingenita, Elohim Filio genita, Elohim Spiritui sancto procedens. Elohim Patri competit Illuminans sapientia ingenita, Elohim Filio genita, Elohim Spiritui Sancto procedens &c.

23. Deniq; sub certa quadam appropriatione proprietates essentialis ad personas singulas accommodantur, quod potissimum in hac nostra Triadosophia nunc observabimus. Nam primo divina misericordia notatur in verbis, Elohim misereatur nostri, quod misereri sine misericordia fieri nequit. Quod autem hæc misericordia sit divina, patet ex subiecto, quia tribuitur Elohim, h. e. vero Deo, benedictæ invocationis principio: quod sit summa liquet inde, quod etiam Reges summi, qualis erat David, qui superiorem his in terris non agnoscebat, hanc misericordiam vehementer exoptant, & humiliter implorant: quod sit infinita, colligitur ex hoc, quod ad omnes invocantes, cujusq; sint populi, loci, temporis, ætatis, conditionis, &c. se prorsus universaliter, & æqualiter, extendat: ex quibus, & aliis apertum, quod hæc misericordia Dei vere sit essentialis. Interim hæc eadem misericordia peculiariter hic appropriatur Elohim Patri (1) quia Patris est misereri filiorum Ps. CIII. 13. (2) quia Patri multis aliis in locis scripturæ misericordia peculiariter applicatur Luc. VI. 46. Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est. II. Cor. I. 3. Pater Domini nostri

Jesu Christi ὁ πατήρ τῶν ὀικτιμῶν appellatur, quasi *Pater Elohim me-*
ras misericordias, tanquam *proprias filias* pariat: in quo loco pariter
 illud observandū, quod hic *Pater τῶν ὀικτιμῶν* dicatur simul εὐλο-
 γητός *Benedictus*: εὐλογητός ὁ θεός, καὶ Πατήρ ἡμεῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ
 ὁ πατήρ τῶν ὀικτιμῶν, qua ratione *Paulus* ostendit, quod omnes hæ
misericiæ Patris cælestis respiciant *hominum benedictionem*, quod
 etiam h.l. *David* indicare voluit, dum *misericiam Patris*, cum *Be-*
nedictione conjungit. (3.) quia primus *Elohim* non tantum est *Pater*
misericiarum, sed earum quoque *Custos*, quemadmodum *Elohim*
Filius ipse verbis *Emphaticis* hoc de *Patre Elohim* prædicavit *Exod.*
XXXIV.6.7. ubi *Præco magnus*, & *misericiæ paternæ Promus Condus*
Supremus, multis id illustravit & commendavit: *Dominator, Domine*
Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verus,
qui CUSTODIS MISERICORDIAM in *millia*: qui aufers iniquitatē &
scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est &c. (4) quia
cor paternum plenum atque refertum *multitudine misericordiarum*,
 ut rumpere necessum habeat, darumb bricht mir mein Herß/dasß ich
 mich seiner erbarmen muß / *Jer. XXXI. 10.*

24. Post *Misericiam benevola Dei potentia, vel omnipotens Dei*
benevolentia, erga nos in *Benedictione* per *Davidem* allegata: *Elohim*
benedicat nos: hoc attributum peculiariter ad *Elohim Filium* accom-
 modatur (1) quia *Filius Elohim* est *semen benedictum*, *semen omnis bene-*
dictionis Gen. XII, 3. XVIII, 18. XXII, 18. XXVI, 2. &c. (2.) quia *Filius*
 est λόγος & *Orator Patris*, qui nobis omnem *benedictionem* ex sinu
Patris revelavit *Joh. I, 18.* eandem, tanquam *Evangelista principalis*,
Es. LXI, 1. primum annuntiavit *Gen. III, 15.* postea per *Patriarchas*,
Prophetas, & alios viros θεοπνεύστis propagavit, in diebus carnis so-
 lenniter ipse promulgavit, & deniq; per *Evangelistas & Apostolos* in
 universo terrarum orbe cunctis populis, & singulis hominibus pu-
 blicavit (3) quia *Filius Elohim* est *reparator omnis divinæ benedictio-*
nis, in quo fundatur omnis nostra benedictio, sicut scribit *Paulus Eph.*
I, 3. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedicit
nos in omni benedictione spiritali IN CHRISTO. (4) quia *Filius Elohim*
 est *dispensator benedictionis primus Gen. III, 15. continuus & perpetuus, o-*
mnibus temporibus, ubiq; locorum, apud omnes homines, quia Mediator
 est

4
est Dei & hominum, ut in aliis, sic etiam in *Benedictionis dispensatione* 1. Tim. II, 5. & denique *novissimus* Matth. XXV. 34. (5) quia *Filius Elohim* sua *sapientia consilium* tulit de benedictione peccatorum Es. IX. 6. & nostram benedictionem voluit sua *benevolentia*, cum in hominibus omnes *delicias* suæ *voluntatis* quæsierit Prov. II. 31. & sua *potentia* procurare potuerit, tanquam *dextra & virtus Dei* 1. Cor. I. 24. & sua *energia satisfactoria* respectu Dei, *acquisitoria* respectu nostri, benedictionē omnem nobis compararit. (6) quia *Filius Elohim*, tanquam *caput*, nobis omnibus, tanquam *membris*, benedicendum, & benedictis, actu benedictionem omnigenam distribuit.


25. Postremo *David* divinam *sapientiam illuminantem* introducit, eamque citra dubium *Elohim Spiritui Sancto* propriam facit (1) quia *Spiritus Elohim* est *Spiritus scientiæ & sapientiæ* Es. XI. 2. (2) quia *sapientia hæc illuminatio* nis pertinet ad *Sanctificationem*, quæ communiter *Spiritui Sancto* propria dicitur. (3) quia partim in scripturis *illuminationis sapientia* salutaris *Spiritui Sancto* peculiariter accommodatur (4) quia *sapientia* talis nobis destinatur: jã autē *Spiritus Sanctus* nos *regenerat*, Joh. III. 6. *renovat*, Tit. III. 5. & omnē *sapientiã illuminantē* nobis donat. (5) quia *sapientia hæc* nobis communicatur per *verbum*: jã a. cum *verbo*, per *verbum*, in *verbo*, *Spiritus S.* operatur. (6) quia *benedictionis sapientia* per *Ecclesiæ Ministros* dispensatur, & in tali benedicto *Ministerio* per *fidem* acceptatur: jam autem *Ministerium* est *ἡγεμονία τῶ πνεύματι* & non modo *efficienter*, sed, juxta B. Luth. *versionem*, etiam *materialiter*, das Amt/ das den Geist gibt/ 2. Cor. III. 8. qua ratione *Spiritus iste*, tanquam *autor Benedictionis*, fidelibus communicatur.

26. (IV.) Ex *Augusta SS. Trinitatis operatione* porro nostra *Triadosophia* confirmatur, quia *tres v. 2.* circa *primam Triadosophian operationes* tantum introducuntur, & neque *pauciores* producuntur, neque *plures* admittuntur, sed omnes operationes *Elohim* ad *tres* reducuntur, quod certe non frustra fit, sed cum *cætera paria sint*, etiam ad *probationem Triadosophias* contendit; in primis, quia *tres* illæ *notabiles operationes Elohim*, juxta *personarum numerum*, accurate numerantur, juxta *personarum ordinem* collocantur, juxta *personarum originem* ordinantur, juxta *personarum proprietatem*, *Elohim* appropriantur, juxta *personarum singularum characterem* accommodantur. Quoad *numerum*, res certa, sicut numerantur *tres Elohim*, vel *tres Deitatis personæ*, neque *plures*, neque *pauciores*; sic h. l. numerantur *tres operationes*, nim, *Operatio Paternæ Commiserationis*, o-
peratio

peratio salutaris Filii benedictionis, & operatio doctrinalis Spiritus Sancti illuminationis. Quoad ordinem tres Elohim ita, juxta rei veritatem, ordinantur, ut Pater ordine sit prima Filius secunda, Spiritus S. tertia persona; sic etiam Operatio commiserationis citra dubium prima, quæ Deum Patrem movet ad Filii benedictionem, quæq; sine commiseratione nullum inveniret locum: redemptoria Filii benedictio secunda jure dicitur, quæ commiserationem ordine sequitur, sed illuminationem, quoad ordinem, antegreditur: sic illuminatio Spiritus ordine tertia manet operatio. Quoad originem certum est, quod Pater sit à nullo, Filius à solo Patre, Spiritus Sanctus ab utroque, quoad personalem originationem; sic commiseratio, tanquam prima, nullam aliam ante se permittit, alias autem operationes post se requirit, adeoque Patri citra controversiam competit: redemptio, ejusque benedictio non aliunde, quam à commiseratione proficiscitur, & commiseratio cum redemptionis benedictione principium illuminationis dicitur, cum à commiseratione, per redemptionem, Illuminatio suam originem habeat: Quoad personarum proprietatem. Proprietates Patris sunt ingenitæ, Filii genitæ, Spiritus S. procedentes; sic etiam Misericordia Patris ingenita, Benedictionis voluntas, & activitas in Filio genita, & illuminans sapientia procedens. Quoad personalem characterem Patri competit ἀγεννητός character, Filio γεννητός, Spiritui Sancto ἐκ ποσέυσεως, ita commiseratio, respectu redemptoriæ benedictionis, & benedictæ illuminationis, ἀγεννητός se habet, redemptoria benedictio Filii à commiseratione q̄s. generatur, & illuminatio benedictionis ab utraque procedere dicitur. Quoad modum operandi Pater à se, Filius à Patre, Spiritus Sanctus à Patre, Filioque personaliter operatur: sic Pater à se nostri miseretur, Filius à Patre mittitur ad redemptionis benedictionem, Spiritus Sanctus, & à Patre, Filioque procedens, nos illuminare perhibetur.

27. (g) Ex Augusta SS. Trinitatis applicatione, seu fructificatione. pariter postremo SS. Triadosophia demonstratur, quia trina fit particulæ ἡ affixio & repetitio: Elohim misereatur NOSTRI, & Benedicat NOBIS, illuminet vultum suum super NOS: quod certe nec emphasi caret, neque fructu suo destituitur, sed cum aliis propterea facta trina repetitio, tum ut per trinam repetitionem cæteris paribus Trinitas operantium personarum indicaretur, tum ut Trinitas relationum demonstraretur, tum ut Trinitas beneficiorum ἁγαθῶν confirmaretur, tum ut Trinitas applicationum peculiarium corroboraretur &c. Sed hæc de
Prima Triadosophia.

CLARISSIMO ET PER-
EXIMIO
DN. M. AUGUSTINO
KNOPFIO,
DE PRIMA TRIADOSOPHIA
EX PSALM. LXVII. 1.
PUBLICE DISPUTANTI
S. P. D.
JOHANNES Deutschmann / D.

 *Notte Te, DEUM NOSTRUM, consummata ju-
stitia est, & scire virtutem tuam, radix est im-
mortalitatis, dicit Vir sapiens c. XV. 3. His verbis
Theognosian omnibus maxime commendat, &
ratione Dei, & ratione rei, & ratione nostri. Ratione DEI,
dum omnem Notitiam non ad alium, quam ad DEUM
Nostrum refert, cum scientia Dei nihil sit prius, nihil an-
tiquius, nihil jucundius, nihil utilius, cum primis quando
DEUM, ut Nostrum, cognoscimus, per fidem omne bonum
ejus suscipimus, & in eodem beate semper acquiescimus.
Ratione rei, Theognosia consummata dicitur justitia, cum
Dei notitia non sit Theoretica, sed Practica, non solius specu-
lationis, sed salutaris operationis. Ubicunq; Deus est, ibi sem-
per operosus, nunquam otiosus. Operatur is non sibi, qui
rei nullius indigus, sed omnia nobis, quibus & Semetipsum,
& secum alia bona quavis destinare constituit. Hoc cer-
te nostrae beatitudinis κληεις, est nostrae jucunditatis ολοκλη-
εια, salutaris felicitatis παγκληεια, cum Dei Notitia vere
sit justitia. Ratione Nostri, scire virtutem Dei, radix est im-
mortalitatis, immortalis felicitatis. Hæc Tua, CLA-
RIS.*

RISSIME DN. MAGISTER, nunc *cura*, tuæ mentis hæc *cultura*, *Felices* nos sumus, si *Deum* verè *cognoscimus*: sed *infelices* quoq; manemus, si *Dei notitiam* negligimus, nec in *Theosophian* inquirimus. Recte proinde *studiis* tuis consulis, dum ipsam *Theosophian*, & *Triadosophian*, cum *Daude*, vel tota *Israelitarum Ecclesia* tuam facis. *Psalmus* hic *benedictionis* est. *Elohim benedictionis* sit Tibi *fons benedictionis*, fiat *flumen benedictionis*, ut inde *rivuli* variæ *benedictionis* in totam *vitam* tuam, in omnes *actiones* tuas, in ipsam *promotionem* tuam, largius dimanare queant, ut inde fias, semperque maneas *Benedictus*! *Vale!* *VWitteberga* scriptum D. IIX. Junii Anno M DC LXXXVI.

Clarissime Dn. Knopfi.

ERuditionem magis laudem, an mysterium, de quo es disputaturus, venerer, hæreo: hoc pietati, illud veritati & amicitia tribuendum; ratio præest uni, alteri debetur oratio, prædicare enim nos oportet gloriosum Numen, rimari quotquot sunt, qui audent, nesciunt, quin potius ratio, velut ad saxum scopulum, collidatur, frangatur. Tua vero interest dicere atque disputando ea, ob quæ, ceu acies in novacula, acumine ingenium periclitatur, advertentibus nota facere; quibus enim curæ est atq; cordi S.S. Trinitatis mysterium, salutis suæ prospiciunt; qui de DEO loquuntur sobriè, sibi reddunt propitium. Macte igitur virtute, Dulcis Amice, & ore disertio, quæ divinitus mortali acumini concessa sunt, felix differas, monstres, defendas. Deus ecce, quem summa nunc animi observantia colis, doces, de Majestatis suæ throno sanctissimo propius Te accessit, ut prosperet conatus, & laboribus benedicat largissimè. Eum Tibi semper esse eundem precor, foveo! Vale!

T.

M. Godofredus Renzselman.




✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

N. 7.
 THEOLOGICA, 49
 E
 I M A
 OSOPHIA,
 no LXVII, 1.
 Quam
 RÆSIDIO
 verendi, Magnifici,
 Excellentissimi,
 ITSCHMANNI,
 & Prof. Publ. celeberrim
 um Electoralium
 Gravisimi,
 æceptoris, studiorumque
 s, Filialis observantiæ
 ad cineres usq; colen
 venerandi,
 cè defendet
 NUS KNOPFIUS,
 Alum. Electoralis.
 Majori, die 8 Junii,
 o 1686.
 * * * * *
 Literis SCHULTZIANIS.